de Cæsaris Max: Æmiliani laude, carmen, quod Agrippinæ in conspectu
Principum Germaniæ, coramq; Cæsarea Majestate, non sine gloria,
(: absit verbo invidia:) multorumq; hominum admiratione treis ante
annos ad Dorium Tonum demodulatus sum, dedicare. Confiteor tamen
ingenuè, me longè vinci à tali Principe, cujus ego ne quidem umbram
assectari valeo scribendo, sed quæ potui, feci, quid enim ultra, quam
possum, facerem? Vale felix, bonorum studiorum decus. Basileæ.
Anno Domini. M. D. XIIII.

D. HENRICO UTTINGER TIGURINO, TIGURINÆ Ecclesiæ Canonico, Comiti Palatino, Viro perquam colendo HENRICUS GLAREANUS Helvetius, Poë: Laur: S. 11.)

[Gedr. 1514 etc. in Glareanus: Descriptio Helvetiae]

Cum nuper in itinere tuo, ex Argentorato ad Tigurum, vir præstantissime,
Basileæ optima illa tua mihiq; gratissima interpellandi consuetudine me
viseres, conferremusq; quamplurima de instituenda juventute Helvetica,
ut aliquando hostium judicium (: qui nil nisi ignorantiam ignorantes objiciunt:)
fallveremq; tandem in nostræ patriæ antiquitates longiore, quam
nos ipsi putavimus, sermone (: nescio quomodo:) incidimus. Cœpi ego mecum
opportunè colligere, quæq; de Helvetia apud optimos quosq; aut reperissem
aut invenissem authores, congerere, posterisq; tradere, et ad majora inveniendum
ansam præbere. Neq; ab hoc instituto deterruit me, quod non
dubitem et reprehensores adesse, et maledicos carminum meorum judices.
Quis enim nescit quot annis et fortiter et patienter Helvetia ejusmodi
hominum balatus tulerit? nonnunquam ora rugientia contuderit?
Aut cur mihi veniam darent, qui toti patriæ petulantissima lingua
non pepercerunt? Quibus neq; satis fuerat nostræ invidere gloriæ,
sed et in maledicentiam ora commovere, quod forsitan de suis aut
nihil lectu dignum inveniunt, aut si inveniunt, sua tempora à majorum
gloria longissime delirare conspiciunt, indeq; occasionem honestam
aucupisse in nos clamare, tanquam Christiani non simus, cum
neq; rationem, neq; hujus usum habeamus, quod libertatem nostram et
justitia et armis tueamur, quod non, ut servi, tyrannis audientes
simus, quod Rempubl. nostram justè augeamus. Quasi verò melius
sit Porsenæ servire, quam Mutij exemplo inconcussum animum in
igne et minis gerere. Sed quis nihili viris istis, qui se ut maledicant,
aut existimant, aut natos opinantur, rictus impudentissimos obstruet?
dimittendi sunt potius, quod fame exordia diris imprecationibus aspiciantur,
gloriamq; quam invidentibus satis assequi non possunt, fortissimis
invident Heroibus. Unum me consolatur, quod cum in Helvetia
plurima et præclara ingenia hodie sint, viriq; docti quam plurimi,
qui et carmine et soluta oratione plusquam valeant (: quales
Durani duo, Udricus Zwingli Doggius, Joachimus Vadianus,
deinde et Henricus Lupulus Arctopolitanus, præceptorq; meus Michaël
Rubellus Erythropolitanus, cujus moribus ne Momus quidem invideret,
sed quid tres Amerbacchios, Brunonem, Basilium et Bonifacium
urbis Rauricæ sydera memorem! aut quomodo reliquos quam

plurimos, hisce non inferiores brevi hac epistola enumerem? In nullum fuisse, qui in alias nationes vel dicto vel scripto stomachatus fuerit, quod ego quoque quanti faciam, demonstrabit haec clarius hoc in carmine modestia mea, cum nostra laudem; quis enim de suis non magnifice loquitur? aliena nusquam vituperaverim. Ad te redeo, accipe de urbe Tigurina atque tota Helvetia, quae ex pluribus et dignissimis authoribus, non sine magno labore corrasimus: Quae etsi mihi imperfecta etiam nunc videntur, suo tempore cum aliis nostris operibus et emendatiora et locupletiora dabo, nam plurimorum rogatu in studio nostro Basilico haec, qualiacunque dijudicentur, diutius occulere nequivi. Vale felix. Basileae. Anno M.D.XIIII.

12) JACOBI WIMPHELINGII SLETSTATTINI Theologi Spirensis Soliloquium pro pace Christianorum, et pro Helvetiis, ut resipiscant.

Reverendissimo in Christo Patri et Domino Jacobo, divina dispositione Archiepiscopo Moguntino, ac Principi electori, Domino Clementissimo Jacobus Wimph: sese commendat.

Quantum ego, Reverendissime Pater, Helvetiorum mores et ingenia dedita opera consideravi: suspicor, ipsos non tam armis quam piis monitis ad Imperii sanctam unitatem, et ad obedientiam Regibus Romanis praestandam posse reduci. Sunt enim ea gens alioquin non sit prorsus impia ex sola divinae legis ignorantia, quae subjectionem praecipit: seam timeo vix absque animarum pernicie ferri in praeceps erroris et inobedientiae. Misertus itaque suae simplicitatis Soliloquium edidi, a Deo petens, ut gens illa tandem illustretur ad imperium, a quo separata est, redeat, Reges et Principes recognoscat, obedientiam exhibeat, nationi Germanicae copuletur et assistat justis contra Germanorum hostes bellis intersit, ut et tyrannorum, qui ejus suppliciis hactenus innixi sunt, minuatur audacia, et perfidorum Turcarum rabies felicius comprimatur, forsitan hoc nostra supplicatio proderit, ne longius imperitae plebis in Regem caeterosque Principes rebellio serpat, in omnis justae potestatis Ecclesiasticaeque libertatis ruinam atque contemptum. Ad quod etiam non mediocriter conducere puto, si tuo consilio divinarum Scripturarum studium indies amplificetur; quippe quae canunt Diis non esse detrahendum, et principibus populi non esse maledicendum. Melior est obedientia quam victima. Et quasi peccatum ariolandi est repugnare et quasi scelus idololatriae nolle acquiescere, quodque reddendum sit Caesari, quod suum est, et quod honor, tributa, vectigalia eis qui praesunt, minime subtrahantur. Et item obsecro primum omnium fieri obsecrationes et orationes pro omnibus hominibus, pro Regibus, et omnibus, qui in sublimitate constituti sunt, ad quod apud Helvetios eisque unitos vix audent concionatores exhortari, sed neque in calce sermonum